

do est secundum alteram intellectus operationem et consequentem operationem voluntatis, videlicet, quatenus reflectentes de conceptibus quaerimus an sit, et evidentiam ponderamus, et iudicia speculativa et practica formamus, et secundum iudicia eligimus. Quae quidem vitae sensitivae informatio atque actualio intellectualis ipsam vitam sensitivam praesupponit; nisi enim vitam per operationes sensitivas consensum effleimur, nihil per intellectum vel voluntatem operari possumus, si quidem hac in vita nisi in phantasmate nihil prorsus intelligimus actu¹⁵.

Tertio, subiectum temporale prius per accidens quam per se est subiectum naturae suae intellectualis qua actualatae.

Unumquodque enim dicitur per se vel per accidens secundum quod sit vel ex intentione agentis vel praeter intentionem agentis. Iam vero quatenus consideratur intentio illius agentis quod naturam subiecti temporalis creavit et conservat et ad agendum applicat, patet omnino per se actuari naturam intellectualem subiecti temporalis. Quatenus autem consideratur intentio ipsius subiecti temporalis, etiam patet non prius actualionem naturae intellectualis intendi posse quam ipsum subiectum sciat se habere naturam intellectualem; neque minus evidens est subiectum temporale non posse scire se habere naturam intellectualem antequam ipsa haec natura sua sit actualata.

Praeterea, sicut subiectum temporale non propria intentione sed spontaneitate naturali sit actu inquirens, intelligens, iudicans, volens, ita etiam idem subiectum temporale ipsas suas operationes intellectuales prius modo quodam spontaneo gubernat quam easdem operationes gubernare addiscat secundum intentionem propriam et intellectam et approbatam et electam. Haec enim gubernatio sui plene conscia atque deliberata praesupponit exactam atque perdifficilem ipsius suae naturae intellectualis cognitionem secundum normas atque exigentias suas intrinsecas. Neque haec exacta atque difficilis cognitio haberi potest nisi per operationes intellectuales. Quare donec acquiratur, necesse est ut operationes intellectuales subiecti temporalis gubernentur secundum spontaneitatem illius luminis intellectualis, quod in nobis est participatio quaedam creata lucis increatae.

¹⁵ *Sum. theol.*, I, q. 84, a. 7.

Quibus perspectis, elucet subiecti temporalis duo esse tempora: aliud quidem prius in quo secundum spontaneitatem naturalem est subiectum naturae suae intellectualis actualae; aliud autem posterius in quo sciens et volens propria intentione subiectum est naturae suae intellectualis actualae et actuandae.

Quarto, eiusmodi est subiecti temporalis conditio ut vix fiat transitus ex priori ad posterius tempus nisi sub influxu aliorum subiectorum temporalium.

Eatenus enim subiectum temporale ex propria intentione vitam suam sensitivam intellectualiter informat atque actual, quatenus fit vera sui sibi manifestatio et honesta sui acceptatio. Quae quidem manifestatio fit vel concrete et symbolice vel technice et exacte: concrete et symbolice quidem in quantum evolvitur cultura quaedam humana seu modus vivendi moribus, consuetudinibus, praeceptis, narrationibus determinatus atque declaratus; technice autem et exacte in quantum scientifice et philosophice in naturam humanam inquiritur. Sed manifestum est utramque obiectificationem naturae humanae multorum hominum collaborationem praesupponere; et ulterius clarum est singula subiecta temporalia ex aliorum influxu non parum adiuvari ad voluntariam acceptationem naturae humanae manifestatae.

Quinto, tres distingui possunt modi, quibus fieri potest transitus ex tempore priori ad posterius tempus subiecti temporalis. Primo, enim, fieri potest ut subiectum temporale, sive in repraesentatione symbolica sive technice, naturam suam intellectualem eiusque normas intrinsecas intelligat, et quia intelligat, eam affirmet atque approbet, et quia approbet, eam propria voluntate amplectatur eiusque normas sequi intendat. Deinde, autem, etiam fieri potest ut subiectum temporale, quamvis ipsum suam naturam parum intelligat, tamen alterius, qui intelligit, verba audit et credit, et secundum hanc fidem propria voluntate et intentione vivit, et tandem denique ad intelligentiam etiam pervenit, secundum illud, « crede ut intelligas ». Tertio, denique, fieri potest ut subiectum temporale alteri ita dilectione coniungatur, ut unio amoris in unionem fidei conducat, et unio secundum fidem in intelligentiam terminetur. Quare, si modos respicimus, quibus temporalia subiecta sunt personae temporis posterioris, aliae sunt tales personae magis secundum intelligentiam, aliae autem magis

secundum verbum verum, et aliae denique magis secundum amorem honestum.

Sexto, in statu naturae lapsae valde impediuntur subiecta temporalia, quominus vere et honeste fiant personae temporis posterioris.

Nam quatenus subiectum temporale est subiectum naturae sensitivae, est centrum quoddam apprehensionum, appetitionum, et aliarum operationum, quae naturali quadam spontaneitate et fiunt et regulantur. Quatenus autem est subiectum naturae intellectualis, procedere debet ad obiectivum quemdam rerum ordinem intelligendum, et ad proprium munus intra illum ordinem perspicendum, et ad propriam eidem ordini subordinationem acceptandam. Quatenus, denique, et sensitivae et intellectualis naturae subiectum est, maxime evolvitur vis imaginativa et maxime liberatur ipsa vita sensitiva, tum ut intellectus ad totum ens intelligendum procedere possit, tum ut pars hominis sensitiva vivere possit secundum inventiones atque dictamina partis intellectivae.

At ipsa haec imaginationis evolutio atque vitae sensitivae liberatio faciunt quidem ut subiectum temporale totum quemdam operationum campum intret qui, cum in signis et instrumentis inveniendis et usurpandis consistat, minime per leges animalibus naturaliter inditas reguletur vel gubernetur. Praeterea, donec subiectum temporale ad posterius quod diximus tempus perveniat, fieri non potest ut ipsum sapienter atque efficaciter se dirigat atque gubernet. Ita ergo in priori tempore a lege animalium in campum activitatis artisticum, dramaticum, praeticum liberatur, ut ad legem propriam intellectu perspectam et ratione impositam et voluntate effectam nondum perveniat.

Quod sane in statu ex influxu aliorum subiectorum ea per amorem et fidem amplecti atque addiscere potest, quaecumque illa alia subiecta iam didicerunt atque amplexi sunt. At longe facilius subiecta temporalia ea addiscunt, quae huius vitae utilitatem et commoditatem respiciant, cum ipsa experientia errores per consecutaria manifeste connexa demonstrat. Quae autem hominis intimam naturam verumque hac in vita munus et huius vitae sensum finemque respiciant, cum methodo empirica per consecutaria clare connexa determinari non possint, illa sacerdotibus, poetis, philosophis speculanda relinquuntur, ut caeteri, quasi peracta laboris divisione, liberius

flamus, ita etiam subiecta aeterna inter se ordinantur ut Pater sit ingenitus, Filius autem ex Patre sit secundum generationem intellectualem, Spiritus sanctus denique ex Patre Filioque secundum sanctitatem procedat.

Quae tamen omnia ita sunt similia ut maior in singulis sit dissimilitudo. Infinitum enim intercedit inter intellectum qui se habet ad totum ens ut potentia et intellectum qui se habet ad totum ens ut actus. Neque circa sensibilia inquirens ad intelligendum movetur qui actu infinito intelligit. Neque nunquam anceps haeret subiectum aeternum inter liberationem a limitationibus animalibus et intelligentiam naturae intellectualis. Neque prius sui conscium est secundum notitiam quamdam praeviam et informem ut postea se sibi clare et distincte verbo manifestet. Neque per actus intermedios ad actus intelligendi perfectiores procedit, neque multa verba dicit, neque multis oculis diligit, neque a processione secundum veritatem neque a processione secundum sanctitatem deficere potest, sed idem actus aeternus et infinitus et intelligendi est et affirmandi et diligendi. Neque ab obiectis finitis specificatur actus infinitus sed per id quod est et ens per essentiam et verum per essentiam et bonum per essentiam. Neque ulla viget distinctio realis inter substantiam et accidens, vel inter esse et operari, vel inter subiectum et actum. Neque alia est constitutio subiecti ut existat, et alia est constitutio personae secundi temporis ut ex propria intentione secundum naturam suam intellectualem existat. Neque dicens ita est intelligens ut simul non sit infinita affirmatio et infinitus amor; neque verbum ita est verum dictum ut simul non sit infinita intelligentia et infinitus amor; et amor procedens non ita est amor ut simul non sit infinita intelligentia et affirmatio infinita. Sed subiecta aeterna sunt ab aeterno unus idemque actus infinitus; et per ipsas emanationes secundum veritatem et sanctitatem sunt et subiecta et inter se distincta et inter se ordinata ordine simul et originis et intelligibili et personali.